QUAEDAM DE NECROSOMATOS COPIA SPECIMEN INAUGURALE QUOD PRO...

Zaccaria Lion

QUAEDAM
DE
NECROSOMATOSCOPIA

Specimen Inaugurale

quod

PRO MEDICINAE LAUREA

RITE ASSEQUENDA

IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA

I. R. UNIVERSITATE PATAVINA

PUBLICE DISQUISITIONI SUBMITTIT

ZACCARIAS LION

ILLIRICUS CREPSENSIS

PATAVII

EX TYPIS VALENTINI CRESCINII

1835

GIUSTO - ALOYSIO - LION

PATRUO · SUO · BENEFICENTISSIMO

VICE · DESIDERATISSIMI · PARENTIS

CONSILIO · HUMANITATE · MUNIFICENTIA

PER · DUODECIM · ANNOS

PERFUNCTO

NEPOS · OBSEQUENTISSIMUS

LAURUM · IPSUIS · ACTAM · CURIS

DICABAT ·

Cum vetustissima hujus universum in orbem insignis Accademiae instituta ferant, ut quisquis ad nobilem doctoris gradum accedens, os ad concionandum recludat, et sapientissimis coram Viris, dicendi habeat facultatem, cum hodie mihi tantus honor a summa ex excellentium virorum bonitate impartiatur, debitum hoc dicendi nullo modo me praeterit. Attamen quid, tyro, de eximia et gravi medicinae scientia dicere valeo? quid Viris omnibus scientiis praestantissimis narrare possum ipsos quod lateat? quid novi praebere, quod artis medicae peritissimi, immo ipsius magistri et creatores ignorent? quidve saltem quod meum sit, quodve meis observationibus comparavi? nihil profecto nihil. Sed quidquid scio, quantumcumque illud est, omne vestrum est, Professores spectatissimi: illud est, quod per quinquennium hac in Accademia vestrum auditor percepi, quodque vestris ab elucubratis le-

ctionibus didici. Atque utinam cuncta illa mente retinerem, quae aures meae vestra ad eloquia intendentes perceperant, nullus profecto me praesenti in certamine timor vexaret; conspectus vester animum relevaret potius quam terreret. Humanitatis attamen vestrae, summi erga juvenes amoris conscius, vires resumo, quodque legis jussu facere debeo, lubens suscipio: ratus me eamdem apud vos benignitatem reperturum, quam per quinquennium sum expertus. Et quod ita sit, cum mihi quodlibet argumentum eligere liceat, talia ad defendendum suscepi, ex quibus forte aliquem fructum sum habiturus.

Etenim cum observaverim nonnullis in locis vanam illam, ne dicam stultam pietatem vigere, quae a dissecandis cadaveribus ingenti hominum pernicie abhorret, veritus, ne mihi illorum adesse in aliquo locorum contingat, non absque utilitate futurum fore censui, si praesenti in occasione diligenti examine instituto argumenta cognoscerem, quibus pro temporis, locorumque opportunitate hominibus maximam Necroscopiae utilitatem, necessitatemque suaderem, et ita, tum ipsorum miseriis solatium ferre, tum mihi prospicere, mearumque cognitionum orbem extendere. De utilitate igitur et necessitate Anatomiae, et quidem Pathologicae breviter nonnulla exponam.

Cadavera rite, attenteque dissecta, et examen chemycum diversarum partium, quibus constat corpus humanum, solum, uberrimumque possunt praebere fontem, ex quo certas structurae, formae nec non compositionis notiones sedulo observatori depromere licet. Hac face ducti omnes Phisyologi, et Pathologi functiones organorum, eorumque laesiones determinare valent. Haec tandem sola patet via, qua medicus quisque observator mutationes, alterationesque organorum per nutrimenta, medicamina, ac venena inductas, recte perpendere potest. Cadaverum dissectiones procul dubio ab aliquot annis institutae, tantam in tenebroso artis medicae calle lucem edidere, ut haec, relictis antiquitatis hypotesibus, solis superstructa factis et observationibus summam acquisiverit dignitatem, qua reliquis scientiis jure merito aequiparanda esset.

Et re quidem vera, si artem nostram a primis suis incunabulis considerare velimus, quot erroribus, quot hypotesibus, immo quot fabulis deturpatam, quot tenebris obvolutam non invenimus? Haec autem erat necessariam temporum superstionumque sequela. Solis enim sacerdotibus viscera interna pro praesagis emittendis perscrutari licuit; dum artis medicae institutores religionis causa a tanto abhorrebant facinore, et ignorantiae popularis participes, nisi

unicam, saltem optimam amittebant occasionem rectas in arte salutari adquirendi ideas.

Innotuit tamen et illis temporibus necessitas, et summa hujusmodi institutionum dignitas. Novimus enim Aristotelem omnem impendisse curam in rimandis illis animalibus, quae propter formas externas speciei humanae quam proxime accedebant, nec praedominans tunc temporis superstitio eum detinere valuit, ut a tam arduis suis investigationibus desisteret, immo cadavera, eorumque partes attente inspexit si qua ipsi aliquando oblata fuit occasio. Tali ratione primi medicinae cultores parcas sibi compararunt corporis humani ideas, quas in libris Hyppocratis, Galeni, aliorumque fas est invenire. Etsi negari nequit prima haec Zootomiae rudimenta non modicam attulisse arti medicae utilitatem, summa tamen est errorum congeries, quae ex hac fonte originem duxit. Ex consideratione enim animalium cultro secatorum facilis, at non aequa fiebat deductio de analogia structurae inter organismum animale, et humanum, unde principia instituebantur valdopere fallacia.

Concussit tandem progressu temporis intellectus humanus ferrea superstitionum vincula, deposuitque ignorantiae jugum, quo tot saeculis opprimebatur, laetaque comparuit medicinae aetas. Surrexit enim insignis Vesalius, qui naturae penetralia ingredi nitens, summos tandem de-

texit errores, quibus medicina turpiter erat defaedata, favente praeprimis doctrina Galeni ubique locorum tum temporis dominante. Rejecit tandem ipse radicitusque confutavit tantam istius medici auctoritatem, attentam naturae considerationem medicis proposuit, primusque edocuit Anatomem humanam non in animantibus, sed in corpore humano esse perdiscendam. Stravit tali pacto directam medicis investigationibus viam, vastumque obtulit campum, ex quo citissime uberrimi expectandi erant fructus. Inclaruit reapse nova haec doctrina in cuncta Italia, et summa excelluere ingenia. Eustachii Fallopii, aliorumque, quorum fama increvit ubique decus hujusce Archigymnasii Patavini. Eorumdem vestigiis insistentes serius, ut de aliis taceam, Harvey et Asellius suis inventis novam statuere aetatem Physiologiae praesertim. Hac aetate floruerunt nomina celeberrima Malpighi Villissi Morgagni, Albini, qui hac medicinae parte summopere excelluerunt. Ultimam denique, ut ita dicam, signarunt aetatem Anatomiae Haller, ejusque discipuli, quorum experimenta tantam in cunctis Europae urbibus lucem eddidere, ut ad ultimum fere perfectionis gradum scientiam hanc perduxerunt.

Ast parum medicus profiteretur ex Necroscopiis, si operam tantum poneret in observandis illis organis qui normali vigent in statu; nul-

lam, aut saltem fallacem, de illorum usu notionem haberet; nam organa morbosa in conditione observata, eorumque destructio plurimum ad functionem dignoscendam contribuunt. Et quidem cognitis, ut pareat, structura, sede, nexu, organorumque corporis humani mirificorum functionibus, modus quo eadem ad normam, si deflexissent, revocarentur, paullatim detectus fuit.

En scientia pathologica imtimae essentiae, laesionumque organicarum corporis humani, aut praegresso ex morbo, aut originaria vitiosaque evolutione prodeuntium, et novae insuper formae ac relationum, quas partes affectae cum sanis sibi contiguis inierunt, ac geneseos in nobis quarumdam novarum productionum, scrutatrix exorta.

Quacumque scientia sexto decimo saeculo instaurata, anatomes pathologica Italiae orta cunctas Europae regiones ut coleretur, petiit immensas cunctis medicinae partibus utilitates gerens. Ex hac fonte copiose hauserunt omnes Physiologi, qui in arte medica novas exposuerunt doctrinas, Pathologia praesertim cognitionum suorum orbem in immensum patescere conspexit. Haec scientia factis et observationibus innixa futiles detexit, rejecitque tandem hypoteses, quibus unaquaeque schola pro dedecore scientiae medicae, superbire solebat: per hanc compertum est, fluida raro post mortem

mutationem pati, textus frequentius, magisque esse affectos, eosque conditionis morbosae vestigia retinere. Nec tantum antiquitatum errores detexit Pathologia anatomica, sed novas etiam veritates in plenam posuit lucem. Quot morbi revera quoad sedem et rationem adfectionis longe inter se alieni hujus ope non sunt distincti, licet symptomata minimam, vel nullam afferrent diversitatem? Quot e contra existunt adfectiones, quae maximas tum in symptomatibus, tum in eorum decursu offerunt differentias, et tamen inspectio cadaverum nos edocet de immutabili earum natura, atque de summa earum analogia?

Quis medicorum profecto utilitatem ignorat, quam hocce ab studio Forensis medicina obtinuit? et quidem si medicus Forensis de gradu, de vi, de damnis ab aliena manu homini illatis judicium ferre debeat, quin illi anattomia pathologica succurat: quomodo damna illa non ex inflicto vulnere, non ex aliena manu descendere, sed ex morbo potius, a quo infelix ille in hoc vel illa corporis parte gravabatur, magistratui persuadebit, et innocuam esse manum, quae tancti facinoris accusatur, declarabit? e contra quoties homicidae vesana fraus altera cervice inulta superbiret, et decepti magistratus nequitiam impunitam dimittentes frequentiorem victimas mactandi occasionem praeberent, sceleratorumque fratricidarum numerus augeretur,

nisi anatomia pathologica ipsis hominum fraudem detegeret?

Ast immensum cum sit opus, meisque viribus impar, utilitates omnes hujus studii recensere, nec illud aggredior, tamen generaliores hae observationes mihi satis esse videntur, ut cuilibet faciliter innotescat, quantum Anatomia pathologica utilitatis omnibus artis medicae partibus conferat, utque medicus, qui studia illa negligit, partem scientiae suae necessariam congnoscere recuset.

Ac, ut clarius luce veritas haec refulgeat, utilitates, quae medico practico, et Chirurgo ab illa proveniunt exponam, quod cum praestiterim, deducere juvabit, hanc esse veram facem, quae sola tenebras in hac aspera via fugare potest. Consideremus igitur quae sit medico servandae salutis publicae cupido utilior cognitio; an ne illa quae naturam causas symptomata, aut sedem morbi prodit. Neminem certe a mea sententia alienum esse credo, si naturam morbi praeprimis investigandam, et cognoscendam esse judico. Sed haec investigatio quot non invenit difficultates? quis medicorum est tam felix in hocce artis nostrae statu, ut uniuscujusque morbi intimam agnoscat naturam?

Cognitione causarum non raro inducitur medicus ad peculiares quasdam mutationes in methodo curativa, et fit saepe saepius, ut remotis

causis in organismum agentibus, novi morborum evitentur insultus Ast plerisque in casibus causa morbi omnino ignoratur. Quod si etiam pateat, quaenam sunt indicationes inde fluentes? quid interest medico se novisse exempli gratia peripneumoniam a causa traumatica, vel dinamica fuisse inductam? in utroque casus indoles morbi est eadem, et phlogosis pulmonum est devincenda.

Si quis vero a solis symptomatibus diagnosim statuere vellet, quot non committeret errores? quae certitudo inde exurgere posset, si nil incertius quam symptomatum congeries in morbis? et re quidem vera medicus symptomatibus universalibus contentus, aegrum interrogans, invenit defatigationem, artuum dedolationes, calorem animalem a norma excedentem, pulsuum frequentiam; observat etiam statutis horis peculiares symptomatum exacerbationes. An haec, quaeso, pro certa morbi diagnosi instituenda sufficere possunt? quasnam indicationes ex hisce phaenomenis eruere licet? Ex hac causa fit saepe, ut plures medici ad eumdem aegrum vocati, de indole morbi omnino inter se discrepent, et unusquisque eorum peculiarem edat sententiam, juxta quam diversae, et non raro omnino inter se oppositae proponuntur methodus curativae.

Si vero aeger medica implorans subsidia post

susceptum refrigerium, de gravi et profundo conqueratur dolore in latere thoracis, si male resonet hocce latus sub percussione, si tussi excreata mucosa densa, nec non sanguine tincta eliminentur, si decubitus in latere adfecto tantum concedatur, quis medicorum seriem symptomatum perpendens, de existente peripneumonia dubitabit? sedes itaque morbi, ejusque indoles medico practico utiles suppeditant tantum notiones in curandis hominum morbis. Nemo enim inficias ibit, curatu longe faciliorem esse morbum, de cujus sede sumus edocti, quam alium, cujus sedes statui nequit. Hancce utilem notionem quomodo acquirere poterit medicus, nisi repetitis cadaverum sectionibus, attentaque eorum consideratione?

Quapropter si quis medicus, individua, quae ex Orci faucibus eripere non potuit, cultro anatomico investigare recusat, maximae incuriae esset damnandus. Amittit enim tali ratione uberrimam cognitionum fontem, pyxidem nauticam, ut ita dicam, in vasto morborum pelago sequi negligit. Incassum insudabit in perscrutandis causis, colligendisque symptomatibus; nisi attenta adjungatur inspectio cadaverica, turpiter operam suam perdet, et stulte morbum determinare conabitur. Non negamus tandem de genesi, nexuque symptomatum, et de remediorum effectu quaedam caute dicere posse, nil

tamen certi de natura, sedeque morbi adserere poterit, vel saltem futilia, parvique momenti haec erunt argumenta, nisi inspectione cadaverum sint confirmata.

Quod si perspectis utilitatibus, quas medicus practicus a Necroscopiis ducit, ad illas longe majores gressum faciamus, quas Chirurgus sibi comparat, manifestum patebit artem illam omnem splendorem ab hocce studio trahere, et illi tribuendum si ipsa ars Chirurgica perfectionis suae fere culmen tetigerit.

Et ut ita sit, si Chirurgus recte cultrum dirigere vellet, sciat oportet, quaenam figura, quisnam situs partis alicujus sit, quasque relationes contiguis cum partibus habeat. Attamen haud multum profiteret si partes humani corporis, earumque ordinem normali in statu tantum cognosceret, ideoque dignoscat quomodo illas partes morbosa se habeant sub conditione, novas dignoscat mutationes, quas morbus in textubus induxit, varias inter organa vicina exortas mutationes consideret; quae cum diligenti attentione perpenderit, firmo animo suas aggredietur operationes. Hisce cognitionibus tribuendum est, si inter tot et tam varias agendi rationes, hanc vel illam aptiorem, celeriorem, minus aegroto gravem, immo nonnumquam et unicam esse agnoscet, quam nisi teneret, vel morbus cresceret, vel aeger sub cultro, a quo sa-

nandus erat, miseranda caderet victima. Et quin ulterius clara in re immoremur, quid utilitatis in Erniotomia instituenda haberet Chirurgus, ab accurata cognitione formae normalis, situs anuli inguinalis, arcus cruralis, etc. si mutationes ignoret, illis quae in partibus venerunt propter intestini et omenti dessensum? necroscopia sola ingentium tumorum relationes proximis cum partibus nobis detegens, ad eradicanda ingentia illa mali volumina nobis viam feliciter ostendit, quae avi nostri curare non audebant, immo neque curationi obnoxia unquam putabant. Hujus studiis ope Chirurgus secernet ex gr. lentas uteri flogoses a schirris et carcinomatibus hujus visceris, non identicas tenebit strumas testium et mammarum cum schirris earumdem partium, nec in illis eradicandis operam ponet ut saepe fit ab ignaris, non schirros demum cum tumoribus cisticis, ateromate sorcomate, confundet et tuto operationem instituet.

Numquam igitur medicus et chirurgus studium et observationes, quas Necroscopiae praebere possunt, negligat cum tam in medicina, quam in chirurgia diagnosis certitudo, et therapiae efficacia illis ferme omnino est adscribenda.

Quamvis luce clarius veritas et utilitas hujus scientiae elucescat, sunt tamen nonnulli, qui timentes, ne eorum errores in paginis naturae clare innotescant, sciëntiae hujus veritatem infirmant.

In cadaveribus enim, ajunt, inveniuntur alterationes organicae, quae post mortem sunt exortae, et e contra existunt aliquae mutationes, quae vita cessante, omnino disparent, exemplum adducentes ruboris erysipelacei, et quanam ratione medicus has mutationes distinguere possit, quaerunt? nec his contenti magis suas objectiones intendunt, dicentes, non tantum fibras organicas, diversosque textus, sed et ipsos humores morbo adfici necesse esse, nullamque sub praesenti medicinae statu patere viam, qua medicus has mutationes detegere valeat.

Quam fallaces, et incongruae tales sint objectiones facile est intellectu.

Negari non potest, plures alterationes saepe post vitae cessationem esse exortas, at observatio attenta cadaverum, ad tantum perfectionis gradum est elata, ut ad mutationes distinguendas medicus tantum ignarus errorem committeret, minime vero qui plura sub diversis conditionibus rimatus est cadavera, et in eorum intimam texturam suas direxit observationes; nam facili negotio distinguere poterit stases ex. gratia concretionesque poliposas a morte inductus, nec effluvia gangraenosa alicujus organi adfecti, cum illis putrefationis causa numquam confundet.

Quod si ex peculiari casu phlogoseos erysipelatosae, quae post mortem nulla relinquit

vestigia conclusio vellet fieri universalis, quis hujus argumentationis fallaciam non cernet? praeterea quotidiana experientia nos edocet non dubia inveniri signa phlogoseos in organo adfecto, si sub decursu morbi hujusmodi adfectionis certa habebantur phaenomena. Patet jam unicuique longe diversum esse adspectum, et relationes organorum in individuo sano quam in alio morbi impetu e vita sublato. At haec differentia; quae solis sectionibus detegi potest, plurimam adfert medico utilitatem. Cognita enim semel alteratione organica, si in altero casu eaedem morbi observentur relationes, majori cum certitudine medicus arte sua naturam ipsam suffulcire conatur.

Quod si cum detrimento artis nostrae omnino intima fluidorum organismi humani alteratio ignoretur, ex hac eadem causa huicce studio omnem operam impendamus necesse est. Sunt plures casus, in quibus scrutatores attentissimi nullam possunt detegere in cadaveribus mortis causam. Sed erit forsitam ratio haec sufficiens ad probandum, quod haec causa non existat? Et re quidem vera, si vita non datur sine organis et functionibus, et si functiones nil aliud sunt nisi modificationes organorum, clare patet, functionem non posse alterari, nisi organi prius alterentur. Erunt hae alterationes primitivae aut consequentes, superficiales, vel profundae, per-

manentes vel non, sensibiles, aut absconditae nostris investigationibus, sed debent existere. Quis potest negare quod attentissimi observatores ea inveniantur, quae aliis innotuerunt? est quidem rationi consentaneum potius asserere quod nihil inveniatur quam ut nihil existat, quia a nobis adhuc non inventum.

Medicus itaque per totum vitae curriculum sectiones cadaverum sedulo instituat, inter cadavera ipse versetur necesse est. Attento perpendat oculo miserrimas hominum exuvias, ut quantum licet penetralia naturae ingredi possit, et utilium cognitionum dives sibi, similibus adjutoriam valeat porrigere manum.

Ad consequendos itaque effectus quos tendit, necesse est ut cognitionibus non indigeat anatomia praesertim, physiologia, aliisque medicinae partibus, ne in judiciis decipiatur, et ex hoc perdifficili studio praemium amittat.

Summa perspicacia erit illi adhibenda, ne pathologicae mutationes; quae mortis in causa fuere, cum illis a legibus chaemyco-physicis prodeuntibus, quibus, posteaquam humanum corpus cadaver evaserit, obtemperare debet, confundantur, uti vasorum depletiones, textuum decolorationes et flaciditas, fluidorum decompositiones, et illorum per textus ex sudatio. Concretiones poliposae praesertim in cavitatibus cor-

dis; seri copia; et similia cadaverica signa ante mortem non existentia.

In cadaverum sectionibus eadem est cura, et diligentia ponenda, immo etiam dicam major, ac in morborum examine requiritur; nam si incauta manus partes exiles, nervos, vel vasa recidat, quae morbi constituerunt sedem, numquam poterit illa suo loco aptare, sicque praemium observationis amittet.

Observator naturae non supersideat primis tantum investigationibus, nec contentus maneat de organi perscrutatione quod adfectum fuisse creditur, sed in reliquas organismi partes suam dirigat attentionem. Partes dein cultro secatas sedulo et frequenter aqua abluat, injectiones diversas instituat, et instrumenta optica, si necesse est, in auxilium trahat, caveat tamen, ne incongrue alterationes partium inducat, et ipsas pro causa mortis retineat.

Nullis opinionibus animum suum praeoccupari sinat, ne somniatas inveniat alterationes, sed naturam in sua nuditate observet, sic fallacia opinionum numquam decipietur.

Memoriae suae non fidet, sed quae observavit scriptonus tradat. Nec haec omnia sufficere possent, nisi medicus sincere suas exponeret observationes, licet hae quandoque suis opinionibus reluctent.

Hisce praeceptis imbutus, et hac face ductus medicus quisque, quam cito promerito fruetur praemio, quod ars medica et homines beneficiorum memores ipsi tribuere non cessabunt.

THESES DEFENDENDAE

I.

Assa foetida est remedium deprimens cerebro Spinale.

II.

In incunabulis adhuc ars medica esset, si cadaverum sectiones defuissent.

III.

Habitus exterior aegrotantium in omnibus fere morbis multum valet ad prognosim statuendam.

IV.

Quo promptius medicus diagnosim instituet, eo utilius.

V.

Medicus nisi ipse morbos observaverit, numquam eorum rectam acquiret ideam.

VI.

Similia similibus non curantur.

VII.

Notio utilior omnibus medico practico est morbi sedes.

VIII.

Causarum cognitio parum ad therapiam statuendam influit.

IX.

Medicinae veritas, et utilitas numquam infirmabitur, etsi morborum et defunctiorum numerus augeretur.

X.

In Anginis Gargarismate non semper utendum.

XI.

Mala consuetudo non est servanda.

XII.

Camphora et aqua Menthae Piperitis uti remedia deprimentia habenda sunt.